

retraxere; ille vero, armis Goriciani Comitis sibi junctis, nova Principis societate auctus, denuo circa Histriam omnia turbare cepit. Novos illius motus aliquot oppidorum defectio secuta est. Qua audita, coguntur Veneti arma classemque continuo reparare: ferebatur vulgo, ad sex & triginta hominum millia in hostium castris esse, & in iis ingentem equitatum. Tantarum copiarum fama subitam reparandi belli curam attulit civitati. Decernitur itaque ingens navium numerus, delectusque accuratissime habetur. Tertia pars omnium, qui per ætatem militare poterant, in naves est imposita; classis portueducta, confestim, ubi in Histriam venit, ad Tergestum (nam & ipsum quoque eo tumultu deferat) castra sunt admota. Hic Venetus ad urbis oppugnationem conversus, munitiones aliquot & præsidia ad hostium incurfus inhibendos paucis diebus erexit. Inde operibus aliis urbem oppugnare adortus; quæ quum magno inita esset præsidio, capere nullo modo potuit: & quia e Republica non erat, circa Tergesti mœnia tantas copias sine spe ulla potiundæ urbis hære, fatisque ad obsidionem continuandam castella jam ab initio præsidii firmata esse credebant, reliquæ copiæ alio abductæ: sed quo admota fuerint castra, annales quos sequimur, non tradunt. Paucis inde diebus hostis affuit, sub cujus accessum tentata est munitionum oppugnationis: quæ non solum strenue defensæ sunt, sed ab iis etiam, qui ad præsidium relictæ erant, eruptione in hostem facta, atrociter pro vallo dimicatum, multique utrinque ceciderunt, & in his Goriciani Comitis nepos, juvenis impiger. Dirempta pugna, induciæ in diem unum pactæ. Interim Gardanius, homo multi nominis, & qui honestissimum ordinem in Venetis castris ad eam diem duxerat, in perfidiæ suspicionem venit. Rumor erat, egisse eum clandestine cum hostibus de præsidio illis tradendo: capto, quæstionique adhibito nefarii consilii confessio expressa est; convictus sceleris, postridie, ubi primum illuxit, tormentali machina in hostium castra conjectus est. Sed quum neque dolo neque aperta vi proficeret hostis, omni jam potiundi præsidii spe destitutus, infecta re domum abiit. Post cujus digressum Venetæ

copiæ

1284

*In Histria
adversus
Aquilejen-
sem Anti-
stitem &
Goriciæ Co-
mitem ali-
quandiu va-
rio eventu
est pugna-
tum.*